

omnia in peius ruere, & retro sublapſa ferri conſpiciuntur;

*Omnia ſunt maris & terræ loca plena malorum.*

Verum cum nimium luctui indulgere Chriſtina vetuſta pietas; in DEI voluntate acquieſcamus, quàm nemo plenè comprehendit, nemo juſtè reprehendit: animoſq; potiùs à luctu ad conſiderationem beneficiorum, per inſigne hoc organum divinitus in nos collatorum, revocemus: ejus memoriam grata mente conſervemus, & veſtigia virtutum plurimarum & pulcherrimarum imitando quiſque pro modo et vocatione noſtra exprimere ſtudeamus.

De hiſ ergo dum verba ad vos facere inſtituo, non eſt, quod orationem pompa oratoria exornatam expectetis.

Quemadmodum enim mulieres Romanæ in luctu albas veſtes geſtare ſolitæ ſunt, cum quod defuncti ita veſtirentur; tum quod luctum vilia ac ſimplicia decere exiſtimarent: cum contra quæ colore infecta ſunt, partim luxum, partim ſupervacaneum rerum ſtudium augeant: rationem hanc adferente Plutarcho Problemate 25. ita quoque mihi perſuaſum habeo, vos funebrem hanc panegyrim, funebri ſuo, hoc eſt, triſti, pullato, inornatoq; habitu in ſcenam hanc prodeuntem, pro ſingulari veſtro in defunctum amore, benevolè libenterque eſſe audituros; idque cum vos ſponte veſtra facturos non dubito, mea tamen cauſſa obnixè & amanter rogo.

Igitur ut inde faciam orationis meæ exordium quod naturâ primum eſt, paucis de natalibus & patria LOBECII initio differendum mihi video.

Ut enim è ſoli natura & cultura arborem fructuſque æſtimamus, ita in hominibus patria, genus, educatio, pluri-

B

mum